





9/22.

1777 15.

DE  
HODIERNIS  
IVDICIIS MORVM  
IN REPUBLICA

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.

S O C I O

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XIX. MART. ANNO MDCCCLXXVII.

D I S P V T A T

FRIDER. GVILIELMVS EHRENFRIED MIRVS

SAXO - THVRING.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

DE  
HODIERNIS  
IUDICII MORVM  
IN REVERENDISSIMO  
INVESTIGATORVM ORDINE GRATIA  
P. L. S. I. R. E.  
D. CHRISTIANO UENKEL REVERENDISSIMO  
THEOLOGICO ORDINARI IVR. NAT. DOCT.  
BY SOCIETATE THEOLOGICA BRESLAVENSIS  
2000  
IN AVDITORIIS IUDICII  
DIE 14. JUNII ANNO 1814  
P. L. S. I. R. E.  
FRIDERICUS WILHELMUS REVERENDISSIMUS



DE  
HODIERNIS IVDICIIS MORVM  
IN REPUBLICA

---



§. I.

**N**on vnus est vocis significatus, si de MORIBVS loquamur. Nemo enim ignorat sub moribus saepissime ea facta comprehendi, per quae tacito vel populi, vel maiestatis consensu ius non scriptum statuebatur. Ita IYLIANVS in L. 32. §. i. de LL. Ait: *Inueterata consuetudo pro lege non immerito custoditur, et hoc est ius, quod dicitur moribus constitutum.* Et de his moribus loquitur VLPYANVS in L. 2. pr. π. de *Vulg. et Pupill.*



*Pupill. Substit.* *Moribus*, inquit, *introducendum est, ut quis liberis impuberibus testamentum facere possit.* Ex his moribus multa in Romano iure capita et materiae iuris originis capiunt, vel per solam agendi consuetudinem, vel ope edictorum a magistratibus propositorum, vel Senatus consultorum sub libera Republica, vel responsorum et Interpretationum Iureconsultorum, vel rerum iudicatarum. Sed cum his moribus nullum nobis est negotium, quamuis et de maioribus nostris Germaniae incolis testetur TACITVS de *Morib. Germ. cap. XIX. plus ibi bonos mores valuisse, quam alibi bonae leges.* Nos sub moribus eam agendi ad praecepta ethices et decori regulas comprehendimus internam necessitudinem seu obligationem, qua ad bene beateque vitam transigendam ducimur. Equidem haec praecepta singulorum hominum actiones ad virtutem compositas dirigunt, attamen, si singuli bene et honeste agant, etiam in ciuitate respiciendae sunt. Coniunximus decori regulas, quas in singulis quidem obseruatas exigimus, at quarum et ciuitas rationem habet. Hinc VLPPIANVS in *L. 15. §. 6. π. de iniur.* Scribit: *Idem (scilicet Labeo ait: Aduersus bonos mores sic accipiendum, non eius, qui fecit, sed generaliter accipiendum aduersus bonos mores huius ciuitatis.* Cum decori regulae ad vtilitatem et saepius in ciuitate ad arbitrarias et indifferentes actiones componantur, tamen ciuitatis communis vtilitas atque opinio omnium de arbitraria et indifferenti actione maxime obseruanda.

## §. II.

Sed grauis oritur disceptatio, an obiectum iustitiae mores, tam quoad praecepta ethices, quam quo ad deco-  
ri



ri regulas esse, et an in his moribus civium subditorum-  
que formandis maiestatis cura occupata esse possit. Du-  
bitandi causam imperfecta, quam ethica producit, obli-  
gatio efficit. Quis vero ignorat, non vi, coactione et  
poenis homines duci posse ad virtutem et morum hone-  
statem. Sit poena legibus constituta vitii et turpitudini:  
non ideo habebimus cives bonos ad virtutem veram  
agentes; potius illa coactio et metus poenae hypocritas  
producet, qui virtutem mentiuntur, quique primam ex-  
spectant occasionem peccandi, dummodo id impune fa-  
cere posse arbitrantur. Cum itaque inanis sit coactio, nec  
effectum producit, quem intendimus, eaque morum hone-  
stas conuictione magis et bona institutione tantum for-  
mari potest; non videtur potestas de rebus ad honesta-  
tem et virtutem spectantibus leges ferendi ad maiestatis  
iura recte referri posse. Dein omnis legislatoria potestas  
pertinet ad eas causas, quae ipsum reipublicae finem et  
maxime securitatem et internam et externam atque de-  
fensionem respiciunt. Poenae atque coactiones itaque  
necesse est, coercendis iis tantum actionibus adhibeantur,  
quibus finis turbatur civitatis. Quae autem ad illum fi-  
nem haut pertinent, neque turbant securitatem ipsam  
communem, eas actiones poenis coercere, et libertati et  
conscientiae vim inferri putandum est. *Libertati dixi-  
mus, quia civis et subditus in iis tantum causis suae li-  
bertati renuntiauit, quae ad finem civitatis respiciunt:  
conscientiae, quippe virtutes ad internam animi conuictionem  
pertinent.*





§. III.

Sed quae etiam haec sint, imo quam verissimae esse videantur; tamen non ausim maiestati negare omnem in mores civium atque subditorum potestatem. Et quamvis adfirmem, nemini nisi Sanctissimo Numini ius in conscientias hominum esse, neque DEVM velle, vt cogantur conscientiae, sed conuictione commoueantur; nollem tamen haec ad externas produci actiones, in quibus fidei et credendorum ratio non habetur. Neque si nomothesia circa morum vitaeque honestatem versatur, intentio est, vt absolute bonos honestosque interne homines faciamus, sed vt externas actiones componant ad virtutis normam. Quid enim interest, si de fine reipublicae obtinendo cogitamus, vtrum quis a luxu atque prodigalitate abstinet formidine poenae, an absterneat virtutis amore. Vtraque ratione sua conseruat bona, per quae idoneus erit, suas praestare ratas partes ad ciuitatis conseruationem et finis promotionem necessarias. Fieri tamen potest, licet hypocritae non deficiant, vt multi consuetudine agendi adfueri vere ad virtutem ducantur, maxime si sensu boni interno percepto virtutis praestantiam cognoscant. Et cum per actiones, quae virtutem externe exhibent, finis salutis promouetur, summa simul cura erit maiestatis etiam legibus praemiis, poenis bonos promouere mores externos. Quare miror, quae *Christ. THOMASIVM* diss. de iudicio siue censura morum commouere poterant, vt censorum magistratum parum vilem haberet reipublicae. Saltem metus, ne ciues atque subditi nimium et effrenate vexentur a morum censoribus pro arbitrio, me non mouet, vt eius sententiae subscribam. Quis enim voluit, vt pro libidine sua





sua morum censores agant. Sicuti aliorum magistratum ius et potestas legibus circumscribitur; ita et iudicium morum ad praescriptas a maiestate normas erit exercendum.

## §. IV.

Hinc sapienter apud Romanos morum iudicium erat constitutum. Censores enim Magistri morum ideo dicebantur, quod huic praessent iudicio. *Causam optimam huius iudicii instituti ex forma rei romanae exhibet BACHIVS in hist. iur. L. II. c. 1. §. III. not. g. Ait: id eo magis necessarium et utile reipublicae erat, quod nemo alias damnari puniriq[ue] poterat, cui deesset accusator; et crimina impunita manerent. Neque utebantur censoribus poenis aliis, quam quae honoris studio convenientes erant, mouebant Senatu, adimebant equum, mouebant tribu et inter capite censos referebant. Et quousque, ut ait VALERIUS in Memorabil. L. II. c. IX. probitas et continentia censorio supercilio examinata est, bene res romana stetit, donec et forsitan luxus exoriens in republica Censuram seueritatem temperauit. Eo enim postea ventum erat in ciuitate, ut, cum lex lata esset, quae conuiuiorum sumptus coerceret, rostra adscenderet Tribunus Plebis M. Duronius abrogaturus legem, declamaret ad plebem. *Fraeni sunt iniecti vobis Quirites nullo modo perpetiendi: alligati et constricti estis amaro vinculo seruitutis. Lex enim lata est, quae vos frugi esse iubet: abrogemus igitur istud horridae vetustatis rubigine obsitum imperium. Etenim, quid opus libertate, si volentibus luxu perire non licet?* Indigna vox magistratus cuius fuerat custodire leges, qui potius sua oratione populum corripit. Quare rectissime a M. Antonio et L. Flacco Censoribus ipse Duronius Senatu motus*

ex



ex sapientissimo morum iudicio, ut rem retulit VALE-  
RIVS. *cit. loc.* Haec impudentia Duronii imitata ex ali-  
qua parte a *Clodio* Tribuno Plebis, qui Legem rogavit:  
Ne Censores in Senatu legendo praeterirent, nisi, qui  
apud eos accusatus, et utriusque censoris sententia con-  
demnatus esset *v. ASCONIVM PEDIANVM in CICE-  
RON. Orat. contr. L. Pison. in Edit. Venet. fol. 79. b.*)  
quam tamen postea legem Caecilius Metellus a Pompeio  
collega in consulatu adscitus Caecilia abrogavit atque cen-  
soribus liberum iudicium morum restituit, quod tandem  
sibi vindicavit Augustus sub titulo *Praefecturae morum*,  
quem secuti successores.

## §. V.

An vero iudicium morum sub Imperatoribus exti-  
terit, pro diuersa ratione et adfirmari et negari poterit.  
Si tale iudicium subintelligamus de moribus, quale per  
Censores sub libera Republica habebatur, quamuis morum  
Praefecti fuerint Augusti, multa adest dubitatio. Potuit  
quidem fieri, ut interdum et forsam extra ordinem quis ab  
Imperatore ob intollerabiles mores quale quid contigit *Um-  
briciae* matronae ob saeuitiam in seruos deportatae, male ha-  
bitus; imo non nullos mores graues iudicium ordinariis  
esse persecutos, maxime, si per leges publicas delictis an-  
numerati, quale in adulterio contigit: tamen numerus  
Imperantium, qui suis exemplis bonos mores corrupe-  
runt potius, quam quod iudicio atque censoriis notis  
promouerint, causa est, ut iudicia morum cessasse pute-  
mus. Quae enim morum cura expectanda a Tiberio,  
Calligula, Nerone, Ottone, Galba, Vitellio, Domitia-  
no, Commodo, Caracalla, Eliogabalo et aliis his non  
dis



diffimilibus. Nihilominus iudicii morum mentio deprehenditur in nostris romanarum legum compilationibus. Ita PAVLVS in L. 5. princ.  $\tau$ . de pact. dot. scribit: *Illud conuenire non potest, ne DE MORIBVS AGATVR caet.* In ANIANI Interpret. ad L. 1. C. Theod. de dote ipsius iudicii de moribus mentio. Et demum constat Imperatorem IVSTINIANVM in L. 11. in. f. C. de repud. hanc sanctionem dedisse. *Iudicio de moribus, quod antea quidem in antiquis legibus positum erat, non autem frequentabatur, penitus abolito.* Sed hoc iudicium de moribus, non omnia ea coercet, quae ad improbitatem, inhonestatem et indecorum ciuium et subditorum pertinebant, sed ad coniugum mores restrictum, neque forsan aliud subintelligendum, quam quod Tiberius A. teste SVETONIO in Vit. Tib. cap. XXXV. in vsum reuocauit. Ita enim Suetonius: *Matronas prostratae pudicitiae, quibus accusator publicus deesset, vt Propinqui maiorum more de communi sententia coercerent, autor fuit.* Et huius iudicii sine dubio poenas statuendas exhibuit VLPIANVS in Fragm. T. VI. §. 12. et 13. qui scribit: *Morum nomine grauiorum quidem sexta retinetur, leuiorum autem octaua. Grauiores mores sunt adulteria tantum, leuiores omnes reliqui. Mariti mores puniuntur, in ea quidem dote, quae annua, bima, trima die reddi debeat ita: propter maiores mores praesentem dotem reddit, propter minores senum mensum die. In ea autem, quae praesens reddi solet, tantum ex fructibus reddere iubetur, quantum in illa dote quadriennio redditur: quod repraesentatio facit.* Ad hunc locum videndus SCHVLTINGIVS.



## §. VI.

Sed quantam etiam curam olim Romani morum habuerunt, tamen potius de iis erit dicendum, quae patriam nostram Germaniam tangunt. Habuere maiores sua vitia, inter quae otium non referam, sed ebrietatem et lusum. Otium enim vitae rationi magis tribuendum, quippe quod eorum studia primaria in bellis vel cum hominibus, vel cum feris bestiis quaerenda. Cum autem nec semper bellum, nec venatio procederet, nihil supererat, nisi vel bibere vel ludere mallent, quam otium. Praeter haec vero vitia virtutibus non erant destituti; Fidem enim eorum et morum gravitatem, castitatem, pudicitiam, continentiam laudant Romani, qui hanc gentem barbaram habebant. Quare et TACITVS *de Mor. Germ. cap. XIX. paucissima*, inquit, in tam numerosa gente *adulteria, quorum poena praesens et maritis permessa*. Et in eo testimonio domesticum iudicium mariti de coniugis moribus quodammodo adumbratum, neque tamen e Romano iure petitum. At vero, an vnquam magistratus fuerit, qui curam habuerit morum honestorum, vix vnquam probari ex antiquis monumentis historicis poterit. A quo vero tempore ordinatio germanis vitae exitit cultus, videtur et paulatim morum et honestatis cura publica facta. Hinc factum, vt quidam mores, si finem ciuitatis directo tangunt, ad causas iustitiae relati, alii contra ex vtilitatis ratione ponderati, polittiae relicti. Quare licet non munus censorum, non illud antiquorum Romanorum iudicium de moribus existat, adhuc tamen inter nostrates populos morum cura obseruatur, et pro vt ordinatio gens est, eo vel accuratio, vel apud alias laxior cura. Et parum refert, an proprius magistratus constitutus,



tus, qui mores subditorum attendat, an ordinario simul magistratui haec morum cura commissa sit. Non nego, interdum vix sufficere magistratum, cui sat laboris impositum in administranda iustitia, coercendis delictis, conservando ordine, vt priuatas domesticasque subditorum actiones inspicere, et si per euentum detrimento sint reipublicae, corrigere possit interposita sua auctoritate atque coactione temperata. Non ergo peccaretur, si peculiaris magistratus ordinatus, qui haec priuata et domestica curet. Quantum enim interest reipublicae, bonos habere ciues, quos nunquam habebimus, nisi priuatam domesticamque educationem liberorum simul curemus.

## §. VII.

*Io. HEVMANNVS in Init. Iur. Polit. Cap. XXI.*  
deprehendere sibi visus est munus censorium ex parte in munere *Sacerdotum et visitationibus ecclesiasticis.* At huic opinioni subscribere non ausim. Equidem concedo venerabile sacerdotum officium eo posse et debere esse occupatum, vt institutione sua atque exemplo in pietate et virtute membra suae ecclesiae conuincat, eaque admonitione per argumenta probantia emendare studeat, quae summa et maxima est vilitas officii clericalis; tamen vltius eorum officium non tendit, neque ad illud coactio quaedam ad formam iurisdictionis composita referenda. ne imperium in conscientias, quod et confessio Augustana, et ipsa Saluatoris Sanctissimi doctrina atque exemplum et ecclesiae Protestantium indoles reprobat, clerici exercere videantur. Hinc omnino multum conferre ad emendatiores mores clericorum studium, pietatem pro-



mouendo, non tamen omnem facere potest paginam, sed maxime ciuilis autoritas ob finem reipublicae promouendum accedat, necesse est, atque suam adhibeat coactionem nulla conscientii vi illata. Haec ita mihi videntur vera, vt putem ciuilem autoritatem solam, non clericorum doctrina adiutam, vix in corrigendis moribus sufficere. Exemplo sit superstitio haud raro etiam ciuili societati damnosa. Coercet ciuilis autoritas hariolationes et superstitiosissimas vaticinationes, vt in Saxonia CONST. ELECT. P. IV. 2. Sed non sufficit lex, deprehenditur superstitio ea adhuc passim in plebe, quam sola demum de veritate religionis acquisita conuictio superstitiioni contraria tollere potest.

#### §. VIII.

Sed praeterea iudicia morum existere, quamuis non specialia, iam per experientiam probabimus. Primum de matrimoniis et coniugum moribus coercendis iudicium superesse haud dubium, si ad *Consistoria* respicimus. Fac ob intolerabiles agere coniugem contra coniugem, quamuis non ad diuortium, agitur interdum ad separationem a thoro et mensa. Neque alia est huius separationis causa, quam morum emendatio, quo conciliari coniugum animi possint. Nec seculare iudicium negabit auxilium, si vel nimia in coniugem seueritas accusetur, vel maritus vxoris turpitudinem summam alleget, vt adeo ergastulo committi per iudicem possit. Praeter hoc morum iudicium circa matrimonium et coniuges, alterum est, quod commemorandum, videlicet quod in educatione prolis curam exercet. Huc pertinent instituta scholastica, pae-



paedagogia, aliaeque fundationes piae et publicae, quae propriis suis legibus reguntur. Sed recte obseruandum, aliam esse educationem publicam, aliam priuatam, quae posterior a parentibus, vel quibus ab his commissa est cura, aut iis qui parentum vices gerunt, quales tutores, praestatur. De publica illa educatione, qui sub cura magistratuum et Consistoriorum fit, non solum non est dubitandum, adesse in his causis morum iudicium; sed et ipsis praepositis disciplinam et per hanc moderatam coactionem ad bene formandos pueriles animos, nemo ignorat. At quid de priuata educatione dicendum? Dixere de hac re multi, vt COCCII in *diff. de Iudic. morum.* LVDOVICI *de iure et iurisprud. domestic.* WILDVOGEL *de increpatione patern.* Neque regulas educationis scribere animus est, veteres enim non minus atque recentiores suas de puerili educatione regulas, suasiones atque consilia publici iuris fecere. Sed praecipue hic necessarium, vt moneamus, optimas leges, quae publicam disciplinam constituunt, inuitiles futuras, ni priuata et domestica disciplina publicae adiumento sit. At hic plerumque optanda maior magistratui concessa cura atque potestas, quippe ea domestica educatio vel parentibus, vel propinquis commissa, qui plerumque ipsi ad modum peponum et fruticum absque religionis, pietatis et morum honestorum cognitione ad iustam aetatem creuere, quique dein sobolem sui similem procreant, parum prodest: et quam demum ab his, ni magistratu aliquo inspiciente et si necesse videbitur, cogente geratur, disciplinam atque educationem expectabimus. Interim ex politiae cura cuius iudici competenti ius esse, curam simul ad domesticam educationem extendere, atque parentibus imponere, vt prolem instrui in religione et in scitu ne-



cessariis curent, et ne diuagari liberos patiantur, adeo poena statuta praecipere, satis notum est.

## §. IX.

Aliud obiectum quod ad morum iudicium spectat, est lasciuia et effrenata libido. Certum est, non tantum ad iustitiae causas referri, vbi supra, lenocinia et alia lasciuiae genera, leges quae de criminibus latae coercent, verum et Politia varia instituit atque magistratibus commisit, quibus his vitiis frenum iniiciatur. Habent enim visitationes nocturnae interdum institutae etiam praeter alia ad communem securitatem tendentia hunc simul finem, vt stupris et scortationibus impedimentum metu iniiciat. Pari ratione feminas lasciuas, qui suae potestatis esse volunt, magistratus vt operas locent cogere et ni velint vel carceri includere, vel ex urbe pellere potest. Mitto alia. Praeterea arbitror posse ad morum iudicium referri, quae prodigorum causa a legibus sancita sunt. Priusquam enim interdictio bonorum fit, necesse est, vt magistratus in mores illius, qui prodigalitate arguitur, inquirat, et his demum peruersis moribus probatis, bonis interdicat eique curatorem constituit. Verum ergo morum adest iudicium. Amplius luxur ratio in legibus habetur atque omni magistratui, cui politiae cura incumbit, etiam de luxu recte iudicat. Referre possunt praeter peculiare leges, ea quae in ORDINAT. POLITICIS de conuiuibus nuptialibus, baptismalibus et aliis ad luxum pertinentibus statuta sunt. Referri et huc possunt leges de re vestiaria latae et quae ad luctum respiciunt. Haec omnia ad morum iudicia omnino referenda.





da. Hinc certissimum est, quamvis nullus hodie peculiaris magistratus constitutus sit, qui de subditorum moribus inter populares cognoscat, tamen non deesse iudicia, quae de moribus cognoscant, siue sint ecclesiastica, siue secularia, siue ex legibus ciuilibus iudicent, siue ex ordinationibus Politicis. Et quamquam concedendum, interdum vtilissimum fore magistratum, cui quaedam praecipue de domesticis et priuatis moribus cognoscendi potestas competat; tamen, si recte suo munere fungatur iudex, nec minus curet politiam, quam ipsam iustitiam, carere posse rempublicam singulari illo censoris munere, et tamen bonos in republica promoueri mores externos, non dubitandum videtur.



¶ ¶ ¶

de... hinc certissime est... nihil minus...  
... hinc certissime est... nihil minus...  
... hinc certissime est... nihil minus...  
... hinc certissime est... nihil minus...  
... hinc certissime est... nihil minus...  
... hinc certissime est... nihil minus...  
... hinc certissime est... nihil minus...  
... hinc certissime est... nihil minus...  
... hinc certissime est... nihil minus...  
... hinc certissime est... nihil minus...



Leipzig, Diss., 1777 A-0

ULB Halle

004 568 583



3

fb  
sb:



1777 15.

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

Farbkarte #13

B.I.G.

Inches  
Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
8

R N I S  
M O R V M

B L I C A  
O R D I N I S G R A T I A

S I D E  
E N R. B R E V N I N G

R. I V R. N A T. E T G E N T.  
A R. D V I S B V R G E N S.

I O  
O I V R I D I C O

O C I S I O C C L X X V I I.  
T A T

E H R E N F R I E D M I R V S  
V R I N G.

I A E  
L A N G E N H E M I A.

